

1671. Lederer, Michael Fridericus: De pacto xv. et x. g. s. w. s.
1. Lederer, Michael Fridericus: De jure quinquennalium.
 3. Lederer, Michael Fridericus: De jure peculiorum filiorumfamilias.
 - 4^{a-b} Lederer, Michael Fridericus: De jure feriarum 2. Imp.
 5. Lederer, Michael Fridericus: De fructibus.
 6. Lysen [Leiser], Wilhelm: De pacto retrovenditionis.
 7. Leiser, Wilhelm: Descriptiones censuales. 2. Imp. 283
 9. Martini, Werner Theodor: De nobilitate, quae litteris aequiritur.
 10. Martini, Werner Theodor: De auxilio restitutionis in integrum, et xvi. foeminibus, de jure communi et Saxonia competente.
 11. Martini, Werner Theodor: De carceribus eorumq. usu et abusu (in causis criminalibus).
 12. Martini, Werner Theodor: De inquisitione criminali.
 13. Nerger, Fractin: De justitia juris Romani, quod in contractu emptionis perpetuae, periculum

- rei umbae, ante traditionem, emptoris facit.
14. Noger, Joachin : De jure mercatoriae . 2 Exempl
 15. Noger, Joachin : De curatoribus .
 16. Noger, Joachin : De purgatione Canonica .
 17. Noger, Joachin : De Testamento per nunciu-
pationem generalam, facto .
 18. Roehreusen, Christianus : De jure majestatis
in academiis .
 19. Roehreusen, Christianus : Jus circa aquas
majestaticum .
 20. Roehreusen, Christianus : De torneamentis .
 21. Scharfius, Joh. Frid. : Miscellanea practica .
 22. Schurzfleisch, Konrad Samuel : Quid expediat imperio ?
 - 23^{ab.} Schurzfleisch, Konrad Sam. : De eo, quod interest
abdicationis principum . 3 Exempl
 - 24^{ab.} Schurzfleisch, Konrad Samuel : Jus belli circa fana
et sepulchra .

a. b.

25. Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De nobilitate
insequebatur. 2 Suppl. 1685 et 1698.
26. Schwarzfleisch, Konrad Samuel: Maris servitium
27. Lyrbuis, Joh. Henr.: De modis pervenien-
di ad regiam potestatem.
28. Ziegler, Karpan: Discursus . . . , in quo possessio-
nem . . . publico . . . examini proponit.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



I. N. S. S. T.
DISCURSUS JURIDICUS

DE
JURE FERIARUM,

Quem
Consensu Magnifici & Nobilissimi

JCtorum Ordinis
PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. MICHAELE FRIDERICO
LEDERERO,

J. U. D. & Antecessore in hac Alma Leucorea longè cele-
berrimo, Curia Electoralis, Scabinatus, ut & Facultatis Juridicæ
Assessore gravissimo,

DN. Patrono atq; Preceptore suo atatem devenerando,
publicæ ventilationi exponit

A. & R.

**HENRICUS CHRISTIANUS Rhebinder/
Lünaburgensis.**

In Auditorio JCtorum horis antemeridianis

Ad d. XIV. Octob. A. M. DC. LXXI.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS MEYERI,

23, 4

1671 4a

24.



Inclytæ Civitatis
LUNÆBURGENSIS
DN.N.N.N.
CONSULIBUS
VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis atq;
Excellentissimis*

DN.N.N.N. Fautoribus, Promotoribus
& Patronis suis summoperè co-
lendis


câ, quâ par est observantiâ,

hanc Disputationem

dicat & offert

HENRICUS CHRISTIANUS Rhebinder/

LL. Stud.



B. C. D.

I.



Sancta Magistratus Authoritas, qua coelitus ipse indutus, praeter ceteris id exigat, ut Subditi praestent obsequium, & si negotij quid ac litis inter eos oriatur, citati compareant in loco iudicii, expectentque decisionem illius & sententiam sive condemnatoriam sive absolutoriam. Neque enim quis in propria causa iudicare aut sententiam ferre, sed illius diiudicationi arbitrio totam litem subicere debet, cuius nihil interest, hanc vel illam partem litigantium victoriam reportare. Nunquam autem scopus ille ac finis obtineri posset, si citati vel reluctentur plane comparere, suique copiam in iudicio facere, vel variis utantur dilationibus, quae moram injiciant litis decisioni, efficiantque non raro, ut pars adversa expensarum quantitate consumatur penitus aut defatigetur insigniter. Hinc recte jure Romano in jus vocatus, si non ierit ex causa a competente iudice multa pro jurisdictione iudicis damnatur *l. 2 §. 1. ff. si quis in jus voc. non ierit.*

II. Interim non desunt Casus, quibus a comparendi necessitate citatus se liberare & contumaciae poenam evitare potest. Inter quos non immerito FERIAS primo pono loco, ut si quis in diem vocatus fuerit feria-

A

tum

tum seipsum in iudicio sistere non teneatur. Nec im-
merito. Exigit equidem necessitas humanæ conditio-
nis, & præ reliquis quidem metus cultusque divini Nu-
minis, ut dies, quibus ab opere homines quiescant
consuetudo & vires quasi reficiant, animumque terrestribus
negotiis ac litibus intermissis ad majora cœlestiaque
pensitanda elevent, Deumque venerentur, qui in peccati
à primis parentibus nostris commissi poenam dies vitæ
nostræ laboribus addixit, exponantur. Secuta dein-
ceps & instituta aliæ quoque feriæ, quæ quidem cultum
divinum directò & immediatè non respiciunt, suo inte-
rim non sunt destituta fundamento. De omnibus hisce
pro viribus DEI ADJUTORIO pauca compilare a-
nimo sedit.

III. Sicut autem aliàs Ordo primum & ultimum
in quovis negotio conficit; ita & in præsentiarum eam
observare methodum placet, quæ excusâ verborum co-
gnitione ad comparandam ipsius rei cognitionem pro-
gressum communiter faciunt. Nondum autem circa
originationem vocis *Feriarum* conveniunt Latinæ lin-
guæ Scrutatores. Alii equidem Ferias dicunt quasi Foë-
rias, quoniam diebus feriatis homines ab iis, quæ in fo-
ro peraguntur, vacare solent. Alii à feriendis hostiis:
quia diebus feriatis litant, seu sacra faciunt homines:
Unde & ipsæ hostiæ feriæ dicuntur AUL. GELL. *Noct.
Attic. lib. 4. C. 6.* Alii denique ab epulis ferendis hanc
vocem deducunt, quia in illis epulæ fiebant ex pecorum
frugumque proventibus. ERASM. UNGEPAUR. *Com-
ment. ad Decretal. tit. de Feriis. n. 2.* Quamcunque igitur
harum originationum quis elegerit, parùm intererit,
iuxta vulgatum illud Logicorum: In verbis sumus faci-
les

les, modò in rebus conveniamus. Interim, anteqvam in rei ipsius cognitionem investigem, id quoad vocem *Feriarum* adhuc notare placet: eam scilicet hîc non acceptari in sensu strictiori pro Diebus Festis, cultuiqve divino tantùm destinatis; Sed latiori, ut Ferias etiam humanas & profanas sub suo complectatur significatu.

IV. Enucleata nominali definitione nostræqve RUBRICÆ diversa significatione ordinis Ratio exigit, ut realem definitionem seu potius descriptionem subjiciam. Placet itaqve *arg. l. 5. ff. & ult. C. de Feriis* FERIAS sequenti describere modo: *Feriae sunt dies, quibus Magistratus nec jus dicere nec sui copiam facere debet, divina & humana sanctione determinati.* Eo autem ipso, quo dies feriati ab actibus judicialibus vacui dicuntur, opponuntur iisdem dies juridici actuum judicialium expeditioni destinati *l. 7. C. de Feriis.* Reliquorum descriptionis nostræ à causa partim efficiente, partim effectu desumptæ verborum intellectus ex sequentibus satis patebit. Mihi jam ordinem Philosophis & Jctis usitatum observare convenit, ut, proposita definitione de divisione Feriarum sim sollicitus; præcipuè, quod variam & difformem earundem hinc inde apud Scriptores reperire liceat.

V. Apud Romanos præprimis ex Numæ Regis eorundem compositione dies alii festi, alii profesti, alii deniqve intercesi vocabantur: Festi Diis erant dedicati, profesti hominibus ad rem publicam & privatam gerendam; intercesi verò Deorum hominumqve communes erant PET. GREGOR. *Syntagm. Jur. univers. lib. 2. c. 16. n. 2.* Mihi in præsentiarum Ferias placet dispescere in ordinarias seu solennes, & extraordinarias seu repen-

tinās. illæ sunt quæ cujusvis anni certis & re-
volutis diebus ac mensibus contingunt. Has iterum subdividere placet
in Sacras & Profanas: Illæ ob cultum divinum sunt in-
stitutæ & in Festis seu Calendariis annotatæ. Ejusmodi
Feriæ apud Ethnicos variæ erant: Sic die 15. Febr. celebra-
bantur Romæ Lupercalia & dictus ille dies Februatus:
die 18. ejusdem mensis Quirinalia seu Festum stultorum,
ut & Ferialia, die tandem 19. Charistia, quæ erat Fe-
stum à Cognatis in familiis celebratum: Ita & 7. April.
celebrabatur Festum Apollinis Turgelia dictum. Quem-
admodum & apud Ebræos ejusmodi festum ordinarium
erat festum expiationis, quod quotannis 10. die septimi
mensis, qui in nonumbris nostri incidit, celebrabatur,
sed de his omnibus consule PET. GREGOR. *d. l. n. 5.*
Apud nos Christianos ejusmodi festa quam varia sunt;
& quidem alia dici ceperunt mobilia, alia immobilia de
quibus idem PET. GREGOR. videri potest.

VI. Profanæ iterum duplicis perhibentur gene-
ris; aliæ honorariæ, aliæ necessariæ. Illæ ob singula-
rem alicujus facti memoriam celebrandam aut hono-
rem peculiarem exhibendum celebrantur; quales sunt il-
li dies, qui Principi lucis auspiciis vel Imperii ortum ob-
tulerunt; nec non anni Jubilæi Academiæ, dies na-
tales civitatis, *l. 7. § ult. in verb. Et si in nostrum ortum
aut natalem celebranda sollemnitas incidit C. de Fer.* Hæ
verò itidem vel fructuum colligendarum vel commer-
ciorum exercendorum causa instituuntur: dictæ proinde
& illæ quidem rusticæ, hæ autem nundinales. Illæ vicif-
sim sunt vel *cereales*, quæ incipiunt à die 8. Calendarum
Julii (28. Jun.) & durant usque ad Calendas August. vel
Vindemiales, quæ incipiunt à 10. Calendarum Septem-
bris

bris (23. Aug.) usque in idus Octobris (15. Octob.) l. 2. C. d. r. quam legem non Theodosii Imperatoris sed Theodorici Regis esse ex Goldasto testatur Dn. JOHANN. STRAUCH *Dissert.* 24. *lib.* 11. Nundinales verò sunt quæ auctoritate Principis jus nundinarum concedere valentis exercentur: Tales feriæ obveniunt in Nundinis Lipsiensibus, Francofurtensibus & Naumburgensibus. Restant tandem feriæ repentinæ, uti vocantur in l. 3. C. de dilat. seu extraordinariæ, quæ pro re nata ob res forte à Principe prosperè gestas, aut in honorem Principis extra consuetum ordinem & morem indicantur, nec propter varietatem ad certum numerum reduci possunt l. 26. §. 7. ff. Ex quibus causis Majores.

VII. Enucleatâ divisione Feriarum ad causam efficientem & personas, quæ eas indicere possunt, progressum facio. Assignatur autem hæc ipsa potestas indicendi ferias illi qui τὸ κορυφαίου seu summam in republ. potestatem possidet. in l. 4. C. de feriis. Cum enim non tantum Principi jus circa Sacra competat, sed ipsius etiam intersit, ne feriæ nimis multiplicentur, nostro præsertim tempore, quo plerique feriis ad voluptatem & laxandam disciplinam abutuntur, ideo principi non poterit non jus condendi ferias competere. Dn. JOH. BRUNNEMANN. in *Comment.* ad l. 4. C. de Fer. Rectè igitur Pontifici Rom. hanc potestatem in Imperio Romano denegant Status protestantes ac Confessioni Augustanæ addicti. Utut enim, cum tenebris papalibus illud adhuc obfuscatum erat, eam de facto Pontifici competiisse negari non possit; nihilominus, postquam jurisdictio Ecclesiastica Principibus restituta, hoc jus etiam indicendi ferias ipsis simul restitutum est. Unde cum Pontifex

Gregorius XIII. Anno 1582. Calendarium novum & reformatum Principibus ac Statibus Imperii obtruderet, hi non ex alio illud rejecerunt fundamento, quam quod Pontifici jus indicendi mutandique ferias amplius non competat, & quod hoc ipsum postulatum reluctetur pacificationi religiosæ & recessui Imperii de Anno 1555. SPEIDEL. in *Notab.* sub voce *Kalender.* HENRIC. HAHN. ad *Wesembec. de Fer. num. 4.* Dn. STRUV. *Exercit. 5. tb. 36.*

IX. Deinceps denegamus potestatem hanc indicendi ferias Magistratibus, quibus uti jura Majestatis nequaquam competunt, ita nec hoc jus indicendi ferias assignari poterit. *A nullo judice* rescribit Constantinus Imperator in *l. 4. C. de Fer. præsumi debet, ut auctoritate sua ferias aliquas condat.* Frustra itaque MATTH. WESENB. in *paratit. Dig. tit. de feriis num. 4.* Constitutionem feriarum tribuit Magistratibus, motus præprimis *l. 26. §. 7. ff. ex quibus caus. major. l. 7. pr. ff. de offic. procons. l. 5. §. 9. C. de fer. l. 4. ff. eod.* Sed verò discernenda probè constitutio feriarum ab ordinatione & determinatione earundem jam ante constitutarum. Hanc magistratibus nolim denegare; Cum enim aliæ regiones aliud soli ingenium habeant, nec omnia eadem tellure pari ubertate & velocitate progenerentur: ideo ob diversam illam æris temperiem Majestas in omnibus provinciis easdem aut uniformes præcisè ferias indicere nequit, ne commodum coelesti munere datum non habita temporis ratione pereat. ERASM. UNGEPAUR. *Comment. ad Decret. tit. de fer. n. 13.* HENRIC. HAHN. ad *Wesemb. eod. tit. num. 4.* in verb. *Magistratibus majoribus.* Dn. JOH. BRUNNEMANN. ad *l. 4. ff. de feriis.*

IX. Ca -

IX. Caterum, novum dubium suggerit *l. 2. c. de fer.* In qua Mesibus & vendemiis certum tempus ingenerare præfinitum, cum diversa aëris temperies & anniverfaria maturitas præcisam ejusmodi determinationem vix possit admittere. Hinc, uti jam ante dictum JAC. CUJACIUS *in Comment. de divers. & temporal. præscriptionibus cap. 13.* & Dn. JOH. STRAUCH *ante citato loco* eam legem non Theodosii sed Theodorici Regis esse nec liberos veteres nec Græcos eam unquam agnovisse asserit: prout & ALCIATUS *lib. 6. præscripty.* eam damnavit, cujus autem illa aut unde sumpta esset, nescivit. Consentit MATTH. WESENBEC. *parat. Dig. tit. de fer. num. 6.* asserens dictam constitutionem non à Romanis Imperatoribus, sed Gothicis Regibus Tholosanis & Hispanis, utpote quorum cœlo & caloribus ea magis convenire videtur, inventam esse: Hinc etiam in antiquis Codicibus eandem non haberi, nec Commentariis atque Glosfis unquam fuisse explicatam.

X. Alii vicissim nodum hunc eo modo dissolvunt: illam nimirum legem ad preces Viceni Consultoris rescriptam esse, qui fortè incola istius fuit Regionis, cujus cœlo tempus in eâ mesibus & vindemiis præfinitum conveniebat, OSVVALD HILLIG. *Don. Enucl. l. 24. c. 7. lit. P.* Quæ ipsa Responso accurata satis, cum pleraque Rescripta, quæ in codice continentur, non contineant generales juris Sanctiones, sed peculiare saltem ad speciem facti propositam rescriptiones; unde argumentum à contrario sensu in codice non valere sentiunt nonnulli Doctores. Quamvis etiam dici possit, in *dicta l. 2.* proponi Regulam ex crebriori regionum & provinciarum usu collectam, excipi autem ab illa cujusque loci consuetudinem.

111
dinem; ut ita uulla amplius super sit pugna *inter l. 4. ff. 65*
l. 2. Cod. de fer.

XI. Etsi igitur Magistratui ex prædictis rationibus potestas determinandi initium feriarum jam ante constitutarum pro ratione tempestatis & maturitatis fructuum sit assignanda; ipsam tamen feriarum constitutionem magistratui nequaquam concedo. Et licet MATT. WESENBEC. *in paratit. tit. de feriis num. 4.* putet, hodie magistratibus oppidanis competere potestatem constituendi ferias non quidem generales sed locales non secus ac statuta condendi jus ipsis assignatur, vicissim tamen nec hodiè alium quam Imperatorem & Status Imperii ferias constituere posse, nec valere sequelam à statutis ad feriarum constitutionem, qua WESENBECIUS præprimis utitur, ductam rectius sentit HAHNIUS ad WESENBECIUM in verbis *Etiàm hodiè Magistratibus oppidanis*, cum statuta sancire civitates municipales earumque magistratus valeant omninò quandocumque ea sunt vel juxta vel secundum vel præter jus Civile à Majestate promulgatum, nequaquam autem si sint contra illud, nisi promulgantis accedat autoritas. Ferias verò indicare est reservatum illis qui majestatem possident aut in consortium illius sunt admissi.

XII. Cum itaque vigore prædictorum quam sæpissimè contingat, ut ob locorum diversitatem varient feriae, ideo non vulgaris quæstio inde exsurgit, quænam feriae sint observandæ, an judicis an verò actoris, an verò tandem ipsius rei, utpote si in loco actoris vel judicis frequentetur Calendarium Gregorianum, in loco vero Rei Julianum, quodnam attendendum? Prima quidem fronte videri possit, forum rei inspiciendum esse, cum
-mātib
alias

aliàs in actionibus intentandis quâ fori competentiam illius primaria habeatur ratio: Saniorem tamen & veriorem eam censent sententiam quâ locum iudicii inq; eo usitatas & inductas ferias servandas & attendendas esse asserunt Doctores nonnulli, vel eo moti fundamento, quod litigantes quâ ordinationem causæ & processus ad jura & consuetudinem in provincia locove iudicantis existentem sese ad stringere voluisse intelligantur. Nec obscure hoc elici probarique potest *ex l. 3. §. fin. ff. de test.*

XIII. Propositâ jam Causâ efficiente ordinis ratio exigit, ut subjecti quoque & personarum, quibus privilegia feriarum profunt, habeant rationem. Omnibus autem eadem prodesse luculenter probatur ex verbis *l. r. ff. b. t. Ne quis* quæ uti generalia sunt & tam masculos quàm foeminas sub suo significatu comprehendunt juxta *l. 1. ff. de V. S.* ita & generaliter sunt accipienda *l. 3. c. de LL.* De feriis Vindemiarum & fructuum colligendorum disquirunt Doctores, an illæ etiam iis competant qui non sunt occupati in messibus? Negativam sententiam olim tenuit Antiquus Glossator Bartolus *ad l. 1. c. de Agricolo & censu.* Et videtur omninò illa ipsa satis munita esse ratione illa quâ *Jctus in l. 1. pr. ff. de fer.* utitur: *quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt.* Cum itaque in illis qui non sunt occupati, cesset ratio legalis sanctionis, ergo & ipsa dispositio non poterit non cessare *arg. l. 108. ff. de U. O.*

XIV. Sed verò contrariam sententiam contra Bartolum jam dudum & quidem communiter defensitarunt Doctores. Ut ut enim fortè ipsi litigantes in fructibus colligendis non sint occupati, facilè tamen fieri posset, ut eorum advocati, procuratores, testes & alii, quo-

rum operâ ipsi opus habent in iudiciò, occupentur in
messibus, qui contra legalem dispositionem eâ ratione
ab operibus rusticis avocarentur. Et licet omnes homi-
nes semper non sint occupati in rebus rusticis, sufficit
tamen eos vel plerumque vel plerosque occupatos esse :
cum leges de iis, quæ ὄπιθὸ πλειῶν contingunt, ferantur.
*l. 3. 4. 5. ff. de LL. & generaliter, oratione D. Marci in d. l. 1. ff.
de Fer. expressum sit, nè quis messium vindemiarumq; tem-
pore adversarium cogat ad iudicium venire.* In quibus ver-
bis non requiritur ut adversarius sit occupatus, sed res-
pectus habetur ad tempus messium & vindemiarum : præ-
cipuis quod feriæ non tantum obfructus sed & ad requi-
em laborum & observores æstivos observentur *l. 7. C. de
fer. OSVV. HILLIG. Don, enucleat. lib. 24. c. 7. lit. O. JOH.
ZANGER. de Except. part. 2. c. 7. n. 12. MATTH. WESEN-
BEG. parat. de fer. n. 7. SIGISMUND. SCAC. de jud. lib.
2. c. 5. num. 147. CARPZOV. Jurispr. for. Part. 1. Constit. 3. de
finit. 22. & in proces. tit. 10. art. 1. num. 10.*
XV. Nec obest quicquam *l. 1. c. de Agric. & censit.*
Cum illa interprete REINH. BACHOVIO ad Treutl.
vol. 1. disp. 2. lit. D. agat de oneribus personalibus, ad quæ
rusticitantum in messibus occupati, extrahi & avocari
prohibentur. Nec ulterius obicem ponit *l. 1. ff. de fer.*
distingvendum enim inter causam istiusmodi Feriarum
finalem & impulsivam. Illa est occupatio plurimorum
hominum tunc temporis circa rem rusticam; Hæc ve-
rò occupatio litigantium. Licet itaq; hæc ipsa cesseret,
non tamen protinus cessat lex ipsa. Sufficiat causam fi-
nalem adhuc obtinere & rationem dictæ legis primæ in
pluribus verificari posse: HENR. HAHN. ad Wesenbec. de
fer. n. 9. AMAD. ECKOLT. ad Pandect. de fer. §. 3. Quin-
imo in illis etiam locis feriæ ejusmodi profunt, in quibus
nec

nec menses nec vindemiæ fiunt, sed occupati tantum sunt homines, ut aliunde perquirant, nisi forte talis sit locus, in quo vinum planè non bibitur. SIGISM. SCAC. *de judic. lib. 2. c. 5. n. 145. & 146.* Magnific. DN. ZIEGLER. *in notis ad Lancellot lib. 3. tit. 5. §. 8. in verb. ob hominum necessitates.*

XVI. Explicatò subjectò & personis, quibus jus feriarum prodest, ad actus qui diebus feriatis exerceri possunt vel non progredior. Omnes itaque actus judiciales & contentiosæ jurisdictiones conquiescere debent diebus feriatis *l. 8. c. de fer.* adeo, ut nec apud arbitros vel à iudicibus flagitatos vel spontè electos illis diebus ulla possit esse cognitio iurgiorum, eo, quod illi quoque procedant servato judiciali ordine & arbitria sint redacta ad instar iudiciorum *l. 7. c. d. t.* AND. GAIL *lib. 1. obf. 53. n. 9.* Arbitrator autem cum sit tantum amicabilis pacis conciliator non impeditur ab exercendo suo munere HENRIC. ZOËSIUS *Comment. ad Decret. tit. de fer. n. 19.* Deinceps diebus feriatis etiam conquiescere debent cunctarum artium officia *l. 3. c. d. t.* Multò minus debitores rigorosis exactionibus iisdem diebus onerari poterunt. *l. 7. in fin. d. t.* ejusmodi exactionibus vel cultus divinus, vel fructuum collectio, vel denique luctus aut gaudium impedirentur. Quinimò nec juramentum quidem iisdem diebus præstari debet: *Can. decrevit. XX. quest. 5.* Duos tamen casus excipit Pontifex *in cap. 1. X. de fer.* pacem scil. & aliam necessitatem pro qua etiam die feriato sacramenta admittuntur.

XVII. Cæterum, de citatione disquirunt Doctores nostri; an ea in die feriato facta ut citatus ad diem non feriatum compareat, valeat? AND. GAIL. *Obferv.*

B 2 *CAN.*

Cam. lib. 1. Obs. 53. num. 5. 6. affirmativæ subscribit, eâ motus ratione; quia actus citationis non est judicialis, sed extrajudicialis adeoque domi fieri potest, & sic cessat ratio cap. 1. de fer. & cap. fin. eod. tit. Urgeri insuper pro firmandâ hâc sententia & illud potest: effectum nimirum citationis comparitionem inspiciendam esse. Cum itaque ea sit rejecta in diem non feriatum, ideò citationi id nequaquam nocumento esse poterit, quod die feriato eadem fuerit insinuata: Ulterius ab operis novi nunciatione ad citationem ducunt seqvelam; quoniam scilicet illa arg. l. 1. §. 4. ff. de O. N. N. die feriato expediri potest, ut actibus judicialibus nonnunquam accenseatur, idcirco & de citatione idem dicendum.

XIIX. Sed verò Contrariam sententiam ejusmodi scilicet citationem die feriato insinuatam non valere arripientibus & nos in præsentiarum subscribimus, moti expressis verbis rescripti imperatorii l. fin. §. 1. C. de fer. quæ huc transferre allubescit. *Dominicum itaq; diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat & c.* Deinceps in aperto positum, citationem esse actum judicialem & ad processum pertinentem, cum ea ipsa dicatur principium ac fundamentum actionum instituendarum §. ult. Instit. de pæno. temerè litig. Et imo Innocentius III. Pontifex in cap. 11. x. de prob. citationem ad ea, quæ in judicio expedienda, disertè refert. Cum itaque omnis actus judicialis juxta d. l. ult. c. de fer. die feriato factus nullius momenti jure & effectu ipso censeatur, ideo & de citatione aliud judicium

cium ferri nequaquam poterit: præprimis quod in citata lege ult. Imperatores expresse rescribant, nullam admonitionem quemquam urgere, præconis potius horridam vocem silesceere debere Dn. BRUNNEM, ad l. fin. C. de fer.

XIX. Nec movent quicquam argumenta, quibus alii, ut diversam amplexi fuerint sententiam, moti hucusque. Citationem equidem actibus judicialibus assignandam esse contra Gallium hæctenus satis deductum esse puto. Et licet citationis effectus ipsa scilicet comparitio in diem non feriatum sit rejecta, & proinde citatum, ut statim & eodem die compareat, non cogat, movet tamen affectus illius, eundemque contemplationi rerum divinarum sacrarumque quasi subtrahit & ad iram non raro provocat contra intentionem LLatorum dies festos Majestati tantum altissimæ dedicatos cupientium in l. ult. pr. C. de fer. ERASM. UNGEPAUR *Comment. ad Decret. de fer. n. 33.* Principium insuper, quod in actibus judicialibus ut plurimum considerari solet, hoc loco vitiosum est; ea propter nec effectus ullo tempore validus exinde oriri poterit *arg. l. 29. § l. pen. ff. de Reg. Jur.*

XX. Argumentum tandem ab operis novi nuntiatione ad nostram citationis insinuationem nequaquam concludit; Præterquam enim quod illi actus separati penitus sint, & à separatis ducta sequela non valeat, adest hic insuper rationis diversitas. Ut equidem operis novi nuntiatio quocunque die permittatur metus rixæ & armorum, ad quæ partes facile pervenire possent, operatur: Hic ipse verò cum ex citationis insinuatione oriri vel conjici non possit, ideò, ut die feriato

cultuiq; divino ut plurimum destinato admittatur, nulla cogit necessitas. Quod si tamen occupatus circa rem rusticam sponte venerit, teneri iudicium & convalidari per comparitionem citati, huncque ad respondendum compelli posse tradunt AND. GAIL. *lib 1. obs. 58. n. 1.* JOACHIM. MYNSING. *Cent. 2. obs. 18. & Cent. 3. obs. 90.* Dn. BRUNNEM. *ad l. 1. ff. de fer.*

XXI. Cœterum sicut vigore hætenus deductorum citatio die feriato insinuata non valet, ita multo minus citatio ad diem feriatum, ut eò citatus compareat, valebit: Cum diebus festis ne homines à divinis avocentur, omnes indistinctè actus judiciales interdicti sint juxta sæpè citatam *l. 11. C. de fer.* De eo tamen hucusq; disquisivere Doctores, an citatus ad diem feriatum cogatur sui copiam facere die proximo non feriato? placet distinctio vulgaris, quâ Doctores nostri utuntur: Aut enim quis formaliter & expressè ad diem feriatum est citatus e.g. ad diem Johannis vel Michaelis: aut dies festus non est expressus, sed certus tantum mensis dies, in quem fortè feriæ incidunt. Priori casu actus citationis ipso jure nullus est, quoniam ille rectâ directus est contra præceptum de sanctificatione & observatione festorum, & ideò quia nullus, nullum etiam poterit operari effectum comparendi scil. necessitatem. Posteriori autem casu subsistit citatio, cum non præsumatur facta mala sed bona potius intentione, ab ignorante fortè, diem citatione definitum feriatum esse: & ideò nihilominus obligabitur citatus comparere & seipsum sistere die proxima habili & juridica. Hinc nonnullis in locis citationibus ad majorem cautelam inseri solet clausula: *si juridica fuerit alioquin die juridica proxima*, quia facile

COR-

contingere potest, ut iudex citans nesciat an dies comparitionis sit casurus in diem feriatum an verò profestum.

ANDR. GAIL. *Obs. Cam. lib. 1. Obs. 53. n. 2.* HENR. ZOESIUS *Comment. ad Decret. de fer. n. 16. & ad ff. eod. tit. n. 5.*

ANTON. PEREZ. *pralect. ad Cod. de fer. n. 9.*

XXII. Quid autem si citatio ita sit concepta ut citatus compareat e. g. intra festum vel usque ad festum Johannis? Nulla eadem laborat vitio, cum ista verba inducant prorogationem temporis scil. usque ad diem festum, & hic ipse non ponatur inclusivè pro termino, sed exclusivè, ut ejus observatio non possit dici violata. Eodem modo res comparata, si quis intra octo dies, ut compareat, citatus fuerit, etsi dies feriatii iisdem sint intermixti, nihilominus comparere tenetur PEREZ. *d. l.* De cœtero, sicut citationis actus die feriato expediri nequit, ita nec testes eodem examinari possunt, tum, quia ab illis præstandum est juramentum, quod tamen die festo prohibitum *cap. 1. X. de de fer. tum quia testium examinatio accensetur actibus mere judicialibus.* Quod si tamen testes vel cum magno ipsorum vel producentis detrimento diu essent detinendi, aut etiam sint senes & valetudinarii, vel denique aliud adsit periculum, iis casibus admittenda omninò die etiam feriato testium examinatio. ERASM. UNGEPAUR *ad Decret. de fer. n. 22.* Dn. BRUNNEM. *ad leg. fin. C. de fer.*

XXIII. Succedit jam sententiæ pronuntiatio quæ etiam die feriato prohibita, ita tamen ut distingvatur hic inter ferias sacras & profanas; in illis sententia lata pronuntiatave ipso jure nulla est, sive consentiant partes litigantes, sive non, quia ejusmodi feriæ non in privatorum favorem sed DEI omnipotentis honorem sunt
in pro-

introducitur, & ideo privata voluntate iisdem renunciari non potest. Dn. BRUNNE M. *ad l. i. ff. de fer. n. 4.* Magnific. Dn. ZIEGLER *ad Lancellot. lib. 3. tit. 5. §. 7. in fin.* Excipiunt tamen aliqui sententiam excommunicationis, quia ea non tam continet strepitum iudiciale, quam potius præceptum continens medicinam spirituales ad bonum animæ ordinatam HENR. ZOESIUS *Comment. ad Dig. de fer. n. 7.* Quoad ferias autem profanas interest omnino: an sententia consentientibus iudice & litigatoribus sit pronunciata an verò non, priori casu sententia valebit *juxta l. i. §. 1. & 6 ff. de Fer. adeo, ut etiam tacita voluntas sufficiat, si scilicet à reo convento contra citationem non sit exceptum Magnif. Dn. ZIEGLER. cit. loc. §. 8. in verb. processerint voluntate. posteriori autem casu sententia non subsistit.*

XXIV, Prohibitam sententiæ pronunciationem excipit rigida ejusdem executio, ita etenim venerari dies feriatos iusserunt Imperatores in sæpe *cit. l. fin. c. de fer. ut à cunctis executionibus excusentur.* Et licet *cap. fin. X. de fer.* in quo recensentur actus die feriato prohibiti, executionis sententiæ nullam faciat mentionem; eo ipso tamen quo sententiam ferre die feriato prohibet, multò magis executionem illius prohibere voluisse censendum: Cum major sit partium & populi turbatio in executione quam pronunciatione sententiæ, & *in l. fin. c. de fer.* expressè sit sancitum, dies festos à cunctis executionibus immunes esse debere HENR. ZOESIUS *Comment. ad Decret. de fer. n. 20.*

XXV. Quod si verò pars aliqua litigantium sententiâ latâ gravata fuerit; quæstio nova exurgit, an appellationem ipsò die feriato interponere liceat? Negativa pri-

va prima fronte arripienda videtur, quia interpositio ap-
pellationis etiam ad strepitum judiciale spectat &
ideo eo intuitu prohibita omnino censenda. Placet di-
stinctio, qua interpositionem appellationis ab ejusdem
prosecutione seu justificatione discernunt Doctores
nonnulli. Illam omnino die etiam feriato admitten-
dam esse putamus, tum, quia appellatio sapit speciem
defensionis naturalis quocunque tempore licitam ac
permissam, tum quia tempus appellationis interpo-
nendae est continuum, currens de momento in momen-
tum, ut lapsu illius beneficio appellationis facile privari
possit pars onerata, tum quia in actione lapsu anni peri-
tura ipsis etiam feriis lis contestari potest *l. 1. §. ult. l. 3. ff. de
fer. Dn. BRUNNEM. ad l. 1. c. de fer.* Prosecutio vero &
justificatio appellationis die feriato interdicta, cum ea
ipsa involvat strepitum judiciale & contradictionem
partium litigantium HENR. ZOESIUS *ad Decret. de
fer. num. 18.* ANTON. PEREZ. *pralect. ad Cod. de fer. n. 12.*

XXVI. Verum enim vero licet regulariter omnes
illi actus qui contentiosae annumerantur jurisdictioni
diebus feriatis expediri nequeant; Hujus tamen regu-
lae universalitatem non raro infringit publicus favor, ne-
cessitas, nec non pietas quibusdam obveniens casibus.
Favor publicus excipit causas fiscales & pistorias *per l. 5.
c. de fer.* quamvis hanc ipsam exceptionem ad ferias tan-
tum messium cum Farinacio restringere malit DN.
JOH. BRUNNEM. *ad l. 1. §. 6. ff. & l. 5. fin. C. de fer.* Inter-
ea de causis pistoriis qua praesentem materiam vide
JAC. CUJAC. *de divers. tempor. praescript. c. 13.* Ejusdem
favoris publici intuitu criminalium quoque causarum
cognitio diebus feriatis institui potest; & feriatis diebus

C

respon-

respondet Modestinus in l. 12. ff. de publ. jud. custodias au-
diri posse rescriptum est: ita ut innoxios dimittat, & no-
centes qui duriore animadversione indigent differat.

XXVII. Quam sententiam non tantum de feriis
profanis sed etiam sacris ac in honorem DEI institutis,
si forte in mora sit periculum, v. g. si generaliter inqvi-
rendum, quis sit autor cædis accipit Dn. BRUNNEM.
in Comment. ad d. l. 12. ne, dum differtur cognitio, reus
elabatur, poena tamen semper differenda. Tempore
tamen quadragesimæ, ob memoriam passionis domini-
cæ recolendam, omnes criminales cognitiones sunt
prohibitæ l. 4. c. de fer. ut ut eam legem de consuetudine
non servari tradat JUL. CLARUS sentent. lib. 5. §. fin. q. 50.
Excipitur tamen Jure Romano latronum investigatio,
quæ tempore etiam quadragesimæ permisa, non certe
ex alio fundamento, quàm ut securitati publicæ, & quo
ea nititur favori publico saluberrime prospiciatur.

XXIIX. Et imò latrones quoque, ut indicent so-
cios criminis die feriato torqueri posse rescribunt Im-
peratores in l. 10. c. de fer. nè differatur celeratorum pro-
ditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quaren-
da est cum facillimè & in hoc summi Numinis speretur ve-
nia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur.
Quod si tamen nullum moræ periculum ad sit, minus
rectè faciet iudex, si torturam die cultui sacro divinoque
destinato exequatur: prouti tradit JUL. CLARUS sen-
tent. lib. 5. §. fin. q. 64. n. 34. & cum eo Dn. BRUNNEM. ad
l. 10. C. de fer. nec non CARPZOV. pract. crim. p. 3. qv. 124.
num. 4. Nec minus ejusdem favoris publici intuitu, ea,
quæ ad disciplinam militarem spectant, die feriato ex-
pediri possunt juxta rescriptum Divi Trajani teste Ulpia-
no

no in l. 9. ff. de fer. Deinceps ex necessitatis rigore quis cogi potest ut die etiam feriato Magistratum conveniat, si scilicet res tempore sit peritura, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura: Hoc tamen tantum usque ad litis contestationem est extendendum l. 1. §. fin. ff. de fer. Notatu digna sunt verba Ulpiani in l. 3. pr. ff. eod. Solet inquis, etiam messis vindemiarumque tempore jus dici de rebus, quae tempore vel morte periturae sunt, morte: veluti furti, damni, injuria, injuriarum atrocium, qui de incendio, ruina, naufragio, rate, navi expugnata rapuisse dicuntur, & si quae similes sunt. Item si res tempore periturae sunt, aut actionis dies exiturus est. Eodem etiam spectat si testes examinandi forte senes sint & valetudinarii: tunc enim ne veritas celetur, etiam tempore feriato illi examinari possunt.

XXIX. Quod si etiam debitor de fuga suspectus sit, is ipse etiam die feriato per judicem capi & arrestari vel carceri mancipari potest, quia periculum est in mora. ERASM. UNGER. *Comm. ad Decret. tit. de fer. n. 22.* 23. Facit enim necessitas licitum, quod alias illicitum, cum legem non habeat. *Cap. Quod non est X. de Reg. Jur.* Nundinis tamen solemnibus & ab Imperatoribus privilegiatis durantibus arrestum adversus mercatoris bona vel personam jure Saxon, Elector, haud decernendum esse, etsi etiam mercator sit fugitivus aut de fuga suspectus & debitum quoque in ipsis nundinis contractum pluribus tradit CARPZOV. *Jurispr. for. part. 1. const. 30. de fin. 23. seq.* Eodem necessitatis rigore excusantur pauperes die feriato laborantes, quia alias se suamque familiam sustentare non possent: modo tamen secreto id fiat & sine scandalo. Agricola quoque ingruente plu-

via & adversa tempestate die feriato licite id laborant,
ut segetes tueantur & fructus colligant: prouti etiam
die festo recte terram colunt, si forte diebus non feriatis
ocasio id agendi non sit data, ne alias pereat commodi-
tas coelesti provisione data, juxta Responsum Impera-
toris in l. 3. C. de fer. Nec necessitas tantum propria,
cui quis expositus, sed & proximi sui, si nimirum agatur
de vita ipsius & facultatibus conservandis, actus nonnul-
los die feriato licite expediri posse non raro efficit. Sic
recte chirurgus venam fecat, si valetudo id postulet. Sic
etiam licite ad extinguendum ignem domum alterius
infestantem die festo subveniunt vicini: Ea tandem
quæ ad piam causam spectant die feriato expediri pos-
sunt Cap. ult. X. de fer. Unde & tutores & Curatores die
feriato dari, officii sui admoneri, eorumque excusationes
allegari, nec minus alimenta constitui, & causa persona-
rum miserabilium pauperum & scholarium tractari
possunt l. 2. ff. de fer.

XXX. Et hæc de actibus contentiosa jurisdictionis dicta sunt: Succedunt actus voluntariae jurisdictionis, nec non illi, qui vel nullam causæ cognitionem exigunt, vel meri facti sunt. Illos eque die feriato expediri posse, vel ex eo constat, quod illi nullum strepitum judicialem, qui à divino cultu homines divertere posset, inducant. Unde liberi & servi in potestate constituti emancipari & manumitti die feriato possunt juxta l. 8. C. de fer. Nec minus pacta & transactiones eodem tempore iniri possunt l. fin. C. eod. Ita quoque Studiosus diebus feriatis studiis incumbere non prohibetur, & quidem non tantum Theologicis, de quibus minus dubium, sed etiam Juris, Medicinæ & Philosophiæ,
dum-

dummodo ipsemet prius conciones sacras audiverit,
quia studia nihil servile continent, sed ordinata sunt ad
mentem illuminandam & perficiendam. Orti inde vul-
gares illi rhythmus:

Qui vult Sanctorum celebrare singula festa

Non poterit clarè cum Codice scire Digesta.

XXXI. Et melius omnino est studiis traducere
tempus, quam otiosè deambulare quod tamen faciunt
plurimi, qui, ut utar verbis JOH. LIMNÆI *de jur. publ.*
lib. 8. C. 6. n. 54. quæ ipse à Joh. Baptista Caccialupio mu-
tuatus, relictis musis Syrenes sectantur, digni qui ipso-
rum scopulis obruantur, & vadunt ad Ecclesias ut vide-
ant mulieres & Amasias. Ex eo tamen minus rectè in-
fertur, licere ea ratione etiam mechanicas artes die fe-
sto addicere, cum instructio in iis fiat per actus exte-
res serviles HENRIC. ZOESIUS *Comm. ad Decret. de*
fer. n. 3. Ita quoque ferias ac sabbathum non profanari
artis sagittariæ & palæstricæ exercitio, modò id fiat fini-
tis sacris, docet CARPZOV. *in Jurispr. Consist. lib. 2.*
de fin. 253. A quo tamen novissime recedit Dn. BRUN-
NEM. *ad l. 1. ff. de fer. corruptelam censens, diebus domi-*
nicis post publicum cultum concedere exercitia palestricæ
artis aut comedias; cum Sanctificatio Sabbati non consi-
stat tantum in paucarum horarum spatio, nec ad cultum pu-
blicum sit restringenda, sed integra dies sacra esse debet:
ut negari non possit, melius facere eos, qui hymnis
psalmis atque canticis spiritualibus dies festos transigunt
juxta Innocent. Papam *in C. 16. de Consecr. dist. 3.* Et licet
regulariter piscationes & venationes die feriatò sint in-
terdictæ, præcipuè, si fiant quæstus causa, cum negari
non possit actus istiusmodi operibus servilibus annu-

merandos esse; halecía tamen, si terræ ea se inclinave-
rint capere licet juxta rescriptum Pontificis Alexandri
III. in *Cap. 3. X. de fer.* quia non semper sed certis tantum
temporibus maximè post æquinoctium autumnii hale-
cum copiam mare agit in littus. Idem etiam de Thyn-
nis & aliis piscibus qui solo uno anni tempore eo-
demq; brevi capiuntur ERASM. UNGEP. *ad Decret.*
tit. de fer. n. 24.

XXXII. Hac occasione disquirere placet: Annon
in patria mea feriarum Sanctitas eo ipso violetur, quòd
salem diebus etiam feriatis coquere assolent? Affirma-
tiva primâ fronte nemini non arridere posset, cum
illud sit opus mœchanicum & corporale non solum ex
parte instrumenti sed etiam ratione effectus, ad quem
natura sua, vel ex vi suæ institutionis ordinatum, non se-
cus ac coquere cerevisiam. Cum itaq; omnia istiusmodi
opera mœchanica in *Cap. 1. X. de fer.* diebus feriatis sint
interdicta, ideo de nostro coquendi salem actu idem et-
iam dicendum. Sed verò eundem die etiam feriato ex-
cusari posse mihi persuasum habeo, quod impium vi-
deatur, materiam illam ex qua sal paratur, & coquitur
tanquam ingens & nunquam satis de prædicandum DEI
benignissimi beneficium ea ratione perire & exhalare,
si salem ex ea coquere esset prohibitum.

XXXIII. Sed verò sicut halecum non tantum ca-
ptura die feriato vel ex ea permisa ratione, quod tem-
pus & occasio, qua illa terræ inclinare solent, non sem-
per sese offerat. Sed etiam agricolis opus terrestre die
dominico facere permilsum, quoniam teste ERASM.
UNGEP. *ad Decret. de fer. n. 25. frequenter evenit, ut*
non aptius alio die frumenta sulcis aut vineas scrobibus man-
den-

dentur; ita ex eadem necessitatis ratione & salis exco-
ctio die feriato admittenda videtur, ut abusus bene-
ficii divini avertatur, & in id, ad quod à DEO destinatum
convertatur. Præprimis quod illi quibus labores præ-
dicti incumbunt horas mutare, & alternata vice cultui
divino vacare possint.

XXXIV. Nec minus de itinere disquirunt Docto-
res an illud die feriato facere liceat? Affirmativa pla-
cet, quia illud functiones animi non impedit, nec quo-
minus DEUM cultu debito venerari liceat, efficit: Quam
maximè autem hac sententia procedit, si necessitatis
ratio urgeat, ut aliquis die etiam feriato iter faciat.
Quod si tamen circumstantiæ servile aliquid importent,
ut, si merces aut aliæ res transvehantur, id, quod alias
licitum degenerat in actum illicitum. Non difforme
judicium de actibus musicis vocum & instrumentorum
ferendum, cum illi non saltem artibus liberalibus ac-
censeantur, sed iisdem etiam DEUS laudari eoque pos-
sit: Quod si tamen quis iisdem ad obscena fortè ac lu-
dicra abutatur, interdicti utiq; ac illiciti censendi.

XXXV. Idem tandem de actu scribendi non tan-
tum proprios conceptus sed etiam alienos prouti disci-
pulo Magistri sui meditationes excipit judicandum, quia
ille ipse est opus aliquod mentis & liberale non servile.
Nec interest, an gratis an vero pro certa mercede quis
scribat, quia hujusmodi merces non facit, mutari con-
ditionem rei ut fiat servilis quæ ex se est liberalis HENR.
ZOESIUS *ad Decret. de fer. n. 3.* Mercatus tandem & nun-
dinæ omnes die feriato sunt interdictæ, adeo, ut si con-
traria quædam consuetudo obrepserit, ea tanquam im-
pia omnino rejicienda *Cap. 1. X. de fer. quoniam diffici-*
le vi-

le videtur inter ementes & vendentes non intervenire
peccatum PETR. GREGOR. *Syntagm. Jur. Univers. lib. 2. C.*
16. n. 27.

XXXVI. De cœtero sicut apud Gentes feriæ di-
versimodè computari solent, prouti videre est apud
JAC. CUJAC. *lib. 15. Obs. C. 32.*; ita apud nos quoad com-
putationem feriæ sacræ à profanis probè discernuntur.
Illæ equidem à vespera in vesperam ex dispositione juris
Canonici computantur, ita tamen, ut diversa diversa-
rum regionum consuetudo non excludatur *Cap. 1. § 2.*
X. de fer. Hæ autem à media nocte incipiunt, & sequen-
tis noctis mediâ parte finiuntur *l. 8. ff. de fer.* Hujus con-
stitutionis rationem NICOL. CARBON. *lib. 3. pract. C.*
4. n. 46. eam esse putat, quod Salvator noster media no-
cte natus sit: Sed inepte satis juxta judicium & censuram
OSVVALDI HILLIGERI *Don. enucl. lib. 24. C. 6. lit. F. in fin.*
PLUTARCHUS vicissim in *Rom. quæst. C. 84.* hanc red-
dit: quod scil. in prima constitutione reipubl. quæ mi-
litaris fuit, consilia nocte capi solita fuerint, quæ etiam
ab AMAD. ECKOLT. *compend. pand. de fer. §. 4.* appro-
batur.

XXXVII. Restat tandem, ut pauca de renuncia-
tione feriarum subjiciam; An nimirum partes litigan-
tes huic feriarum exceptioni renunciare possint? Di-
scernendæ itidem sunt feriæ sacræ à profanis; illis re-
nunciari nequaquam potest: tum, quia principaliter
cultum divinum non partium favorem concernunt,
quavis autem juri & favori tantum suo renunciare po-
test *l. pen. c. de pact.* tum quia pactis privatorum juri pu-
blico non potest derogari *Cap. 12. X. de for. comp.* quam
ipsam dispositionem etiam ad ferias repentinas in victo-
riam


riam fortè Principis inductus extendit ANDR. GAIL.
obs. Cam. lib. 1. obs. 53. n. 26. ex eodem fundamento quia
illæ publicum magis, quam partium favorem concer-
nunt. Secus autem res est comparata cum feriis rusti-
cis & vindemialibus, illis etenim renunciari omninò
posse vel ex eo apparet, quod oratione Divi Marci cau-
tum, ne quis illò tempore adversarium cogat in judi-
cium venire *l. 1. ff. de fer.* Ergo vigore argumenti à con-
trario sensu ducti, si consentiant partes possunt iis tem-
poribus in jus vocari.

XXXVIII. Quinimò non desideratur præcisè ex-
pressa renunciatio, quamvis ea tutior omninò sit, sed
sufficit interdum etiam tacita, id quod non obscure pa-
telcit ex verb. *l. 1. §. 1. ff. de fer. presentibus illis & sponte li-
tigantibus* ANDR. GAIL. *d. l. REINH. BACHOV.*
ad Treutl. vol. 1. Diss. 5. tb. 9. lit. F. HENR. ZOES. *comm.*
ad ff. tit. de fer. n. 11. Multo magis autem Principi vel
alii jura episcopalia tenenti competit potestas dispen-
sandi circa istiusmodi ferias, dummodo adsit causa ali-
qua rationabilis, quia non facile recedendum à jure se-
mel sancito nec in eò dispensandum HENR. ZOES.
Comment. ad Decret. de fer. n. 32. Et hæc sunt quæ de
materia hac satis ampla, brevibus tamen inclusa thesi-
bus, proponere volui. Vela contraho, tuumque
judicium Benevole Lector æquisimum ex-
pecto. Sit interim

DEO LAUS ET GLORIA.

E

Te




TE quoque per stimulos, ad Divæ celsa
Themistos

Atria, laudatos, ardor honestus agit.
Gratulor inde Tibi, faveat fortuna DEUSq;
Ut merita ex studiis præmia ferre queas.

*Sinceri affectus contestandi causa cum voto
omnigenæ prosperitatis hæc apposuit*

Michael Fridericus Ledererus, U. J. D.

P. P. & p. t. Academia Rector.



RHEBINDERE, dies fastos simul atq; nefastos
Describis, per quos lege licebat agi.

Curia quæis strepitu, quæis pulpita lite vaca-
bant,

Aut erat in miseros lingua disertareos,
Extollant alii, quos susceperè labores,
At meliora dabunt præmia festa Tibi.

f.

Johannes Meisnerus, D.

Ad

Ad Augustinum
VIRUM-JUVENEM

Clarissimum, Doctissimumq;

DN

HENRICUM CHRISTIANUM
REHBINDERUM

Lunæburgenlem

Amicum meum Colendum,

cum

de

JURE FERIARUM

disputaret.

Quod Poëta Horatius, Imperatoris Augu-
sti delictum, canit: Celata Virtus di-
stat inertix parum; multum in recessu
habet; licet enim virtus sibi sufficiat satis, cum
ipsa summum sit Bonum, ad quod adspirare per
humanas vires datum est; non tamen hic me-
ta Virtuti posita, sed vim suam in publico prodit
omnem, prudens sciensq;, non sibi, nec Schola
tantum, sed vite potissimum discendum esse,
cum PRINCIPALI, Patrie, Parentibus, Et ad
commodum omnium nati sumus. Hoc dum
meditor, mente trutinavit Studiosorum, qui

E a

uti

(*) Sic Salvi-
an. de Gu-
bernat. DEI
lib. I. incipit:
Incuriosus à
quibusdam,
& quasi ne-
gligens hu-
manorū a-
ctum DEUS
dicitur, ut-
pote nec bo-
nos custodi-
ens, nec co-
hercens ma-
los.

uti Imp. Fridericus Auth. Habitâ C. Ne filius
pro Patre: *habet: causâ studiorum peregri-
nantur. Hi bonæ notæ juvenes non satis du-
cunt, si domi virtutibus, Artibusq; imbuti sint,
sed per saxa, per maria, perq; hostes, incuriosi
* quid mali ipsis fieri possit, accum detrimento
facultatum paternarum, & sanitatis sæpè, ex-
teras adeunt Athenas, ut nobilissimâ Eru-
ditionis, quæ mundus illuminatur, potiri pos-
sint: hinc ad moti postea Sacris expediendis, ac
Legationibus, Consiliisq; aut desideriis amico-
rum, aliorumq; in judicio exponendis summas
in publicum scenorantur utilitates: atq; hoc
est, ut Horatium in Grecismis versatissimum
imiter:*

Pernota Virtus distat inertie nimis.
*Et Tu, Mi REBINDERE, nunc in luce hu-
jus Academiæ ELECTORALIS ea animi tui,
hac tu opte marte compositâ Disputatione ex-
pones dona, quæ hætenus à Professoribus tuis
habuisti, quæq; eidem in te non nisi probare &
laudare possunt: memento velim quotidie hu-
jus: Plus ultra: & illius in Pandectis nostris*
memo-

memorati Jcti, qui discere voluit, etiamsi alterum pedem in tumulo haberet; ut solidum robur tua bene fundata studia inducere queant: sicut enim DEO, & LÜNOBURGO-BRUNOVICENSIBUS DUCIBUS gratus eris, ac Parentis de Lutheranâ Ecclesiâ optimè meriti expectationi satisfacies, Honoresq; te circumstant plures. Valeto, Amice & faveto, ubicunq; locorum fueris. Scribeb. VVittenbergæ d. 5. Octobr. Anno 1671.

Joachimus Nerger/ D.
& Prof. Publ.



Ad Nobilissimum

DN. RESPONDENTEM.

POscis inane metrum. Quovis, mihi crede politum.

Fortius, & studium, carmine thema micat.

Michael VValtherus, P.P. & alumn.

Elect. Ephor.



Otia dum pandis festorum hauri otia captas,
Exemploq; negas quod bene voce probas.

Sed

*Sed decet ingenii vires intendere rebus,
Dum fervore pio putera Juventa calet,
Sentiet occiduum senium sic otia, postquam
Prima etas varias accumulavit opes.
Nunc ego quae sistis praecleara pericula Juris,
Dum peragis, Patri gratulor atq; Tibi.*

scr.

Clarissimo DNO. RESPONDENTE

Georg. Green/ P. P. Ordinari.



GLoria virtutem sequitur, Virtusque laborem;
Hinc Themidis rident Jura sacrata Tibi.
Scilicet in vitae Te publica commoda monstras
Prognatum, Patriae spes adamata tuae.
Omne felici jam pulpita publica scande,
Impiger, atque Tuis gaudia mille para,
O amor o nostri pars jucundissima Pindi
Delicium Themidis Castalidumque decus.

*Ita paucis de egregio hoc Specimine Clariss. Dno.
AUCTORI prolixam suam exponunt gratula-
tionem, ut tamen ab amore Ejus nunquam
feriaturi sint*

COMMENSALIS LEDE-
RERIANI

Elect. Episc.



Omnium bonorum fons et origo
Exemplumque nobis esse debet

ULB Halle

3


001 554 379




SB

1011







B.I.G.

Farbkarte #13



S. S. T.
 JURIDICUS
 RIARUM,
 fici & Nobilissimi
 Ordinis
 RESIDE
 MAGNIFICO
 Consultissimo atq; Excellentissimo
 E FRIDERICO
 RERO,
 Alma Leucorea longè cele-
 binatus, ut & Facultatis Juridicæ
 gravissimo,
 ore suo etatem de-venerando,
 lationi exponit
 & R.
 STIANUS Rhebinder/
 rgenfis.
 n horis antemeridianis
 A. M. DC. LXXI.
 HENRICUS
 MICHAELIS MEYER,

23, 4

24.

